Quaestio medica Cardinalitiis agitanda disputationibus In Scholis Medicorum

die Jovis 10a Martii,

D. Vincentio Mustelfio D. Medico, moderatore prudentissimo.

An omnis Cacochymia Alimenti praui Soboles?

Humani corporis admirabilis fabrica, in humido gemino, aere nulla separabilis, peculiari posita, breui fatiscet, nisi spiritus reciprocatione perennis, quam sola animalis facultas non praestat, arteriarumque pulsus ipsis non sufficit, tum cibi potionisque; cuius quidem alterius eodem incommodaque celeriora nomine subinde assurgunt, substantiae triplicis iacturam solaretur. Neque vero id aere sperare auxit, quod a pulmone aeris, et molli, unde cuilibet fluxioni opportunior, haustu aeris pars quaedam, respirando redditur, pars altera cordis ventriculo commista, per arterias, a quibus cor nil emittat, in omne corpus diffunditur, ipsumque alimentum; cuius usus ut latius patet, quam aeris, sic noxa tardior, sed periculosior sentitur, in partium quarum est temperies diversa, sic calor actionum opifex varius substantiam sanciat.

Id autem fieri nequit, nisi alimonia pinguitudine, dulcitudineque delibuta, calida humidaque sit, et in omni excessus aequalitate constituta, totiusque substantiae convenientia, ad nutriti ingenium accedat. Quae vero ab hac regula aberrant, aegriusque coquuntur, eo graviores noxas corpori inferunt, quod non minimam efficientiam habent, imperium praecipue si temperiei insitae suffragatorem habeant. Tum enim insitino, degeneribusque temperamento corpus corrumpit, humorumque qualitate peregrina molestantium multitudinem, et pravitatem, quae nihil aliud est quam cacochymia, progignit: unde cachexia, cacoethia, et his peior atrophia.

Cacochymiae tot sunt species, quot humorum: quarum quaelibet tanto deterior, quanto maioris adustionis et mixtionis particeps. Has partim ab esculentorum, poculentorumque depravatione suam progeniem accepere: partim ab ambientis aeris, qui vel qualitate immoderata, vel substantia et subita mutatione pertinaciter inducit, spiritus, humores, partes solidas labefacit, quibus illatis morbus nullus: partim vero quae se in proprias capsas recipiunt, tum serosi, sudoris et pituitosi diutius in vasis coctioni resistat, et propriorum cuiusque partis excrementorum vel liberiore expulsione, illegitimaque retentione: partim a motu, quiete, somno, vigilia, animi pathematis, aetatum, regionum discriminibus, et quae his succenturiari debet, ventris fluxio, partium dissimili temperie, viscerum labe, cruditate.

Humoris vero potentis biliosi quidem argumenta petuntur a colore flavo sordido, habitudine strigosa, prurigine, sive ea per superiora, sive per inferiora excernatur, biliosis, amarulentis, aetate iuvenili, morbi idea ex tertiana, ictero, ante diem septimum in febribus malo. Melancholici notae sunt, affecta aetas, color nigricans, habitus macilentus, morbus congener, ut quartana. Pituitosi signa sunt, color albicans, venarum angustia, aetas praecipitata, et quae plus iusto in corpus dat moles, morbi cognati, ut febris quotidiana, quae sicut varissima, ita perniciosissima. Abundantis seri iudicia sunt, vitae genus sedentarium, corporis habitus oedematosus, morbus familiaris et ascites, hydropum perniciosissimus, hydrocele, hydrocephalus.

Ut autem plethorae vena sectio, sic cacochymiae conservata est purgatio: quae ut sapienter instituatur, corporis et humorum praemittenda praeparatio, nisi status loco res sit: corporis quidem, ut meatus accommodi pateant, quod imprimis praestat phlebotomia, quam nec cruditas prohibeat: humorum vero ut duri emolliantur, crassi incidantur, lenti detergeantur, biliosi tenues incrassentur. Deinde consideranda humorum copia, species, motus, sedes, ~~cor~~ corporis temperies, habitus, vacuandi consuetudo, coeli status, ut medicamentorum, cuius quantitas, ut et aliorum remediorum, nota definiri non potest, totius substantiae similitudine, vel etiam calore, humorem quemvis educat, succum naturae gravem facilius protrahat, et ut reliquiae cacochymiae motus omnis auferatur, viscerum, aliarumque partium, si qua labes, solvatur: in quo, si alimentorum contrarium valde plurimum, ab aliis extrinsecis non minus subsidium expectandum.

Ergo non omnis Cacochymia Alimenti praui Soboles.

F.M.P. Bibliothèque

Ponebat Martinus Akakia Lutetianus, Anno Domini, M. D. LXIX.